

ctum, sed punctum Globi utrimq; ab *Æquatore* remotissimum: Vel, quod idem est, Poli *Æquatoris* sunt duo puncta Coluri alterutrius, e. g. *Æquinoctiorum*, qui Colurus ita ad *Æquatorem* erectus est ut illa duo puncta ad nullam *Æquatoris* partem annuant aut abnuant, sed ab omnibus *Æquatoris* partibus æqualiter absint. Quantum autem Poli *Æquatoris* ab *Æquatore* aut Poli cujusvis Circuli maximi à suo Circulo distent, id etiam ex eodem hoc exemplo est manifestum. Colurus enim jam dictus ab *Æquatore*, ejusq; Polis ita dividitur, ut inter Polum alterutrum & *Æquatorem* semper *Quadrans* Coluri interjiciatur. Ita vicissim Poli ejus Coluri non sunt in Coluro sed in *æquatore*, nonagesimus nimirum & 270. ejus Gradus: dividiturq;, itidem ut prius Colurus, *Æquinoctialis* etiam per Colurum, Coluriq; Polos in quatuor *Quadrantes*, &c.

Circuli Sphærae minores sunt, qui nec Sphæram in duas partes dividunt, nec idem cum Sphæra centrum habent.

Tales sunt *Tropici* & *Polares*, ad *Trigonometriam* nihil conferentes.

Circuli Sphærae Paralleli sunt qui eosdem Polos habent.

Nec *Circulorum Parallelismus* ad istud nostrum propositum conducit: quamvis ad *Astromiam* ejus usus sit necessarius. In globo autem ejusmodi Circuli sunt *Tropici* & *Polares* qui ad *Æquatorem* omnes sunt *Paralleli*, eosdemq; insuper cum eo Polos habent.

Qui se deniq; mutuò intersecant Circuli (& quidem Maximi; Minores enim nunc non moramur), intersecant se aut ad Angulos Rectos, aut ad Obliquos.

○ 3

Circu-